



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio practica ...**

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm  
praecepta ad artem concionandi descendam accomodata, sed etiam Ideas  
& Conceptus praticos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis,  
Patrocinij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Exemplar III. Quomodo Concio de una virtute alicujus Sancti institui possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

tiam adversariorum. 3. *sequendo Christum* per imitationem perfectam; atque adeò implevetit tria capita ad perfectiōnem ab Ascetis requisita, ut nimur quis sciat, abstinere, abstinere, agere, quæ proin, in quo cōsistant, fusiū ostendi posse.

X. Posset ostendi, quām fidelis fuerit *dispensator*, tribuendo de bonis Domini sui, id est, de tempore sibi cōcesso, partē Deo partem proximo, partem sibi per actiones ad aliquid hērum commōdum vel honorem ordinatas, exempla SS. Joachim & Annae, qui sua bona in tres partes simili modo distribuerunt, vel possunt per bona Domini intelligi bona opera, & ostendi, quomodo unam partem, scilicet fructum landis & gloriæ DEO: aliam partem scilicet meritoriam, sibi; & aliam, scilicet satisfactorium & impetratorium fructuum proximo, nempe viventibus atque defunctis assignarit.

XI. Posset ostendi, quām fideliter *servi vigilantis* officium impleverit, reperitusque sit vigilans in vigilia prima, id est via purgativa abstinentia à vitiis, & passiones reprimendo per varias corporis & animi mortificationes. 2. In secunda vigilia, id est, viâ illuminativa, exercendo se in variis virtutibus. 3. In tertia vigilia, id est, viâ unitivâ per singularem familiaritatem cum DEO in exercitiis spiritualibus, & conformitatem voluntatis suæ cum divina.

XII. Posset ostendi, quomodo fuerit vir secundum cot. DEI, qui fecit omnes voluntates ejus, vocationem suam diligenter inquirendo, fideliter exequendo, & constanter in ea perseverando, vel quod semper fecerit, quæ DEVS voluit, quæ modo voluit, & quia voluit. Ideoque vicissim à DEO tres gratias obtinuerit à S. Davide Ps. 88. indicatas: *Oleo Sancto meo unxi eum* (id est oleo lætitiae p̄e consortibus) *manus mea auxiliabitur et* (hinc felix successus omnium actionum & laborum) *& brachium meum confortabit eum* (hinc plena & tranquilla securitas animi.)

### Exemplar Tertium.

Quomodo de una virtute aliquujus Sancti concio institui possit?

Pro Feste Sancti Ignatii Fundatoris Societatis JESU.

Thema.

Sint lumbi vestri præcincti Luc. 12.

Scopus.

Ostendendum, quām fortiter S. Ignatius Ecclesiam defendit, & quantopere quivis Christianus ob hanc causam illi obstrictus sit.

Syllogismus principalis.

Tunc merito quivis Christianus plurimum obligatus est ad S. Ignatium colendum, quando ille fortissimè Ecclesiam, & cum illa etiam nos contra Luiherum defendit; atqui hoc fecit; ergo merito quivis Christianus plurimum obligatus dicitur ad illum colendum.

E X O R D I U M.

Quæstio non tam curiosa, quām jucunda & salutaris est, an S. Ignatius Fundator Societatis JESU, cuius festum hodie celebramus, magis officium militis præstiterit antè, quām post suam conversionem? ad quam quæstionem eti pleriq; judicaturi sint, haud dubiè ante conversionem eum præstantius officio militis functum, eò quod de hac functione præclarum in defendenda arce Pompelonensi specimen edidit; nihil autem simile post conversionem ipsum præstitisse sciatur; ego tamen contrariam sententiam amplector, judicoque, nunquam præstantius officium militis gesuisse S. Ignatium, quām postquam relicta profanā militiā spiritualem auspicatus est; & hoc in præsenti concione fusiū nunc ostendam, ut dum cognoveritis, quām præclarè Ecclesiam, & cum hac etiam vos defenderit, cādem operā intelligatis, quanto pere eidem obstricti sitis, atque adeò omnem in debito hoc vestro exolvendo conatum adhibeatis.

Propositio.

Dum Ecclesiam nostram Catholicam considero, rectè illa  
N 4 arcu

arci seu civitati munitæ comparari posse videtur. Nam est illa benè munita triplici muro virtutum Theologicarum & quatuor portis cardinalium virtutum. 2. Est populus (wohl besetzt) & cum bono ordine dispositos Inquilinos habet; in eâ enim reperitur Christi Vicarius, ejus Confiliari Cardinales, Duces Episcopi, officiales Clerici & Religiosi, reliquus populus Christianus militum officio fungens, omnes pulcherrimo ordine sibi invicem subordinati. 3. Benè instructa armis & commeatu; nam ipsa est, de qua Cantic. 4. dicitur, quod sit turris ædificata cum propugnaculo; & quod mille clypei pendeant ex ea. & omnis armatura fortium. In ea panis pretiosus Angelorum, aqua non deficiens gratia per septem canales Sacramentorum, per puteos variorum exercitiorum Spiritualium derivata, reperitur. 4. Denique super tam firmam petram, ipso Christo teste, est ædificata, ut portæ inferni non possint prævalere adversus eam. Quibus tamen non obstantibus multi quidem hæretici, sed præcipue nostris temporibus Lutherus cum suis asseclis ausus est hanc munitissimam civitatem aggredi & oppugnare. Sed illi DEUS Ducem fortissimum Ignatium opposuit, qui usque ad eum omnes ejus conatus elusit, ut, ubi primum Ignatium cum suis Sociis vidit, mox animum abjecerit, & multum confusus abierit, ut facile patet, si ex una parte Lutheri conatus, ex altera vero oppositas S. Ignatii machinationes intellexerimus.

### *Pars Prima.*

Primò itaque Lutherus ipsos muros invasit, dum primum murum fidei catholicæ per rejectas traditiones, autoritatem Pontificis, indulgentias, vota religiosorum deiijcere conatus est: spem verò tollendo cultum B. Virginis, & aliorum Sanctorum, operumque propriorum valorem & necessitatem debilitare studuit: & charitatem denique, dum observationem mandatorum impossibilem, nostraque opera nihil nisi peccata esse, consilia Evangelica verò, per quæ vel amor erga DEUM probatur, supervacanea dicere ausus est, penitus evertens laboravit. Sed his omnibus conatibus fortissimè se Ignatius opposuit, quis enim nescit, quanto cū conatu inviolata fidem avitam conservare studuerit? quam salutares regulas

conscripterit, per quas recte sentire cum Ecclesia discamus? quām acriter se cum sociis per publicas disputationes eorum doctrinis opposuerit? quām solidē feliciterque hæreses eorum per libros & privata scripta sparsas refutārit? quām multos ex ipsis oppugnatoribus expugnārit, & in ipsam Catholicam Ecclesiam pertraxerit? Non dissimili verè modo alterum quoque murum, scilicet spem defendit; quis enim non vel legit, vel propriis oculis vidit, quām egregiè is cultum B. Virginis & Sanctorum promoverit? quantopere laborārit, ut homines ad frequentanda Eucharistiæ & pœnitentiæ Sacraenta induceret? quām sollicitè procurārit, ut in variis operum bonorum generibus se studiosè exerciceret? quoties illud S. Jacobi saluberrimum monitum inculcārit: *quid prodest, Fratres mei, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat? numquid fides poterit salvare eum?*

Sed præ reliquis murum charitatis divinæ fortissimè pugnavit, id quod ipse DEUS quondam B. Magdalena de Pazi revelavit, ut Lancizius in 1. opus c. refert, dum illa vidit, DEUM in throno Majestatis sedentem, tantopere sibi complacere in anima S. Joannis Evangelistæ, ac si præter ipsum nullos alios Sanctos in cœlo haberet; postea vero vidit, simili modo DEUM in anima S. Ignatij delectari, quo circa clara vocè dicebat: *Spiritus Joannis & Ignatij est idem, quia totus est amare, & conducere ad amandum DEUM.* Hinc ad indicandum hunc amorem S. Ignatij non malè pictor quidam ipsum flamas ex toto corpore projicientem, sicutque de cœlo ad volantem pinxit cum hac subscriptione: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur?* hinc & ipse dicere solebat sociis suis: *Ite, & omnia accendite.* Imò, hac ipsa etiam de causa haud dubiè ex inspiratione divina adhuc infans nomen ipse suum elegit dicens: *Ignatius est nomen meum.* quia Ignatius si unicam litteram a demas idem significat ac *Ignitus*, vel *tu ignis*. quis ergò non præclarè S. Ignatium in hoc primo officio defensionis, militem egisse fateatur?

Pars Secunda.

Postquam Lutherus advertit, frustraneum esse conatum suum in muris dejiciendis, ad ipsas portas effringendas se convertit.

N 5

vertit. Hinc 1. prudentia portam labefactare conatus est dum omnium rerum ordinem turbavit, & summā imprudētiā media profine eligi, atque hominem pro sua libertate in solicitudine speciali de operibus bonis & meritis vivere fecit; Sed S. Ignatius omnia contraria egit, nec quidquam magis laboravit, quam ut homines secundūm rectas prudētiā leges ultimum suum finem p̄r̄ oculis semper haberent, super eo recte constituto & proposito totam suam vitam fudarent, ut in libello exercitiorum videre est.

2. Lutherus *Injustitia* portam labefactare conatus est, dum DEO & Sanctis debitum cultum negari, Pontifici aliisque similibus Superioribus obedientiam subtrahi, concordiam per matrimonij divorcia etiam quoad vinculum tolli, pacem in republica turbari fecit. Sed nihil hæc terruere S. Ignatium: quin potius se totis viribus ad conatus hos retundendos convertit; hinc suam Societatem per peculiare votum obedientiā in quoconque casu p̄st̄andā obstrinxit: hinc tot Congregations instituit, & per eas cultum B. Virginis & Sanctorum introduxit: hinc tantum laborem adhibuit, ut à filiis debita reverentia Parentibus, à subditis obedientia Superioribus, à conjugibus fidelitas, ab omnibus verò mutua charitas invicem exhiberetur. Nec minus studuit etiam *temperantia* & *fortitudinis portas* conservare, quassavit quidem illas Lutherus, dum intemperantiam in cibo potuque verbo & exemplo passim suauit: dum superbū caput supra omnes erexit, atque ut se ob contemptum, quem ex negata Indulgētiā promulgatione sibi obvenisse putabat, vindicaret, ab Ecclesia defecit: dum omnia prope motiva ad suscipiendam portandāmque crucem elusit, & explosit: sed irrito conatus, nam fortiter opposuit se Ignatius, dum & ipse insigni exemplo abstinentiam docuit, & saluberrimas pro victu temperando regulas composuit: dum non ipse duntaxat omnes honores studiosè declinavit, sed ut sui etiam ad eosdem non acceptandos voto se obstringerent, in constitutionibus suis imperavit: dum tantum desiderium patiënti semper prefultit, ut dicere ausus sit, non esse tot pedicas & vincula in civitate Salmanticensi, ut non plures optaret, hancque expeditissimam ad perfectionem viam esse affirmaret, si quis multo propter DEUM innocenter pati posset.

Pars Tertia.

Videns itaque Lutherus neque portas se infringere posse  
ignibus iniectū expugnare urbein nostram statuit, quos tan-  
tò audaciū injecit, quantò plures victorias se hoc medio ob-  
tinuisse meminerat; hinc omnem libidinem passim permit-  
tere, uxorem &què ac panem necessariam esse dicere, omnem  
virginitatem eliminare, monasteria velut pestiferas domos  
detestari, & quidquid Castitatis studium promovere poterat,  
penitus arcere studuit; sed novit scilicet artem his ignibus  
occurrendi Ignatius: novit ejusmodi ignes bovina pelle, id  
est indefessō labore, quo otium proscriptur, supprimendos;  
novit aquam gratiæ cœlestis, sine qua continens esse nemo  
potest, copiose affundendam: novit fugâ celeri tales ignes  
dexterimē declinare, hinc omnes ad laborum amorem, otij  
& occasionum fugam, orationum aliorūmque exercitiorum  
spiritualium frequentem usum tam sollicitè excitavit, à suis  
verò tam perfectam castitatem requisivit, ut vel ipsis etiam  
per illam assimilari Angelis possent.

Pars Quarta.

Itaque & hīc nihil proficiens Lutherus, Holofernī tenta-  
vit consilium, atque adeò canales atque fontes, id est, Sacra-  
mentum & missæ sacrificium, per quæ tam copiosam gratiæ  
cœlestis aquam in Ecclesiam derivari noverat, removere co-  
natus est; sed nusquam fortius se opposuit Ignatius noster;  
hinc publicè & privatim frequentem usum Sacramentorum  
commendare, hinc tot confessionalia passim in suis templis  
ædificare: hinc ordinare, ut perpetua quodammodo Sacrifi-  
cia in iisdem templis suis offerrentur: hinc tam sollicitè  
Sacerdotes instruere, &c, quidquid ad saluberrimos hos fontes  
conservandos conducere videbatur, studiosissimè implere co-  
nabatur, non ignarus videlicet, ab his fontibus totam propè  
Ecclesiæ Catholicae incolumentatem pendere.

Pars Quinta.

Tandem ergo, quod unicum superesse videbatur, proditio-  
nis remedium arripuit Lutherus, noverat scilicet, quod jam  
olim Philippus Rex Macedonum dixisset, nullam sibi videri  
arcem

arcem inexpugnabilem, in quam asino auro onusto adi-  
pateret. Hinc & ipse in Ecclesiam aenum auro, id est, tri-  
teis promissionibus & aurea libertate onustum præmitto-  
conatus est; hinc tot Episcopatus, ditissima monasteria, plus  
ques Parochias, thesauros Ecclesiæ ostendit, & Diabolus pro-  
Christum olim tentarat, imitatus dixit: *hac omnia tibi da-  
si cadens adoraveris me, & Ecclesiam mihi tradideris;* & re-  
sanè dixit, *si cadens &c.* verè enim, qui ei paruerunt, cecide-  
runt gravissimè de libertate filiorum DEI in servitutem Di-  
aboli: de dignitate Christiani in infamiam hæretici: de gra-  
tia in peccatum, de cœlo in infernum: ita ut de illis ven-  
suo modo dici posset illud Isaïæ c. 1. *quomodo cecidisti de celo*  
*Lucifer, qui manè oriebaris, &c.* Sed nimurum S. Ignatius egro-  
giè proditionem istam deprehendit, & detexit, dum tam pre-  
claras regulas de discernendis spiritibus præscripsit: dum  
exercitia spiritualia & modum meditandi introduxit, ul-  
pans suo modo illud Christi: *ducam eam in solitudinem, &  
loquar ad cor eius, detegamque fraudes Diaboli;* ille ad-  
mnes cum S. Augustino verbo & exemplo clamavit: *siqua-  
ris, quere; sed non, ubi quaris; quare in fonte;* quia ibi vi-  
vunt, quod factum est in ipso vita erat. Ille dicebat omnibus  
cum S. Augustino: *Ecce viam vita, à multis ad unum;*  
*ecce viam mortis ab uno ad multa.* Si adhærebis Superiori  
concubabis inferiora. Si recedis à Superiore, ista tibi in supplicium  
verterentur. O igitur verè insignem Duce! ô for-  
tissimum Athletam! ô generosum Ecclesiæ defensorem!

### Pars Quinta.

Quid ergò nobis faciendum modò est, AA. Evidem tria  
existimo facienda.

1. Audiendum consilium Ecclesiastici c. 44. dicentis: *laude-  
mus viros glriosos in generatione sua.* Multam gloriam feci  
*Dominus magnificentia sua à seculo.* Et quidni laudem  
fortissimum Ignatium nostrum? si enim illos, qui arcem de-  
liquam vel urbem, à qua unius tantum provinciæ salus pes-  
det, fortiter defenderunt, tantopere laudamus; quanta laud  
dignum censemus illum, qui Ecclesiam, à qua omnium  
Christianorum salus dependet, tam feliciter conservavit: si  
illos, qui thesauros materiales servarunt, aut ab hoste & mo-

te corporali defenderunt, summis laudibus extollimus, quid non illi præstabimus, qui spirituales thesauros millies præstantiores, vitamque animæ contra tartareos hostes defendit? an non ergo dicemus cum populo Hebræorum Judith. c. 15. Tu gloria Ecclesiæ, tu letitia Israël, tu honorificentia populū nobis, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum. ideo eris benedictus in eternum, & dixit populus: fiat, fiat.

2. Gratiae eidem S. Ignatio amplissimæ agendæ; si enim olim Romani tantum sibi beneficium exhibitum putarunt per urbis conservationem, ut specialem coronam, civicam scilicet, militaris virtutis insigne clarissimum decreverint, eò quod cum Scipione judicarint, pluris esse faciendum, si unus civis servaretur, quam si mille hostes perderentur; quid non S. Ignatio debebimus, qui tot cives Ecclesiæ, immo cœli servavit? quid autem melius ipsi, quam coronam auream decernemus? vultis scire, quænam sit corona ista? vos, vos ipsi; si aurea charitate prædicti fueritis, si studueritis ad illius exemplum omnia opera vestra ad majorem DEI gloriam dirigere, vos eritis corona ista. vos hodie alloquitur S. Ignatius illis S. Pauli verbis ad Philipp. c. 4. Ita que fratres mei, charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino charissimi. non peto, ut statum mutetis; non peto, ut bona vestra temporalia relinquatis; & pauperibus distribuatis. Sic state, charissimi, sicut DEUS vos constituit, dum vobis os sublime dedit, cœlumque tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus. sic state, ut, dum utimini hoc mundo, juxta S. Pauli consilium sitis quasi non utentes: sic state, ut, quales habebatis impetus ad mundum, tales deinceps habeatis ad Opificem mundi, sicut S. Augustinus monuit. Sic state, ut impleatis tecum consilium à S. Bonaventura datum, dum dixit: ama, & ama totus; ama, & ama semper: ama, & ama fideliter; haec est regula amandi, amare ut DEVS, exultare ut DEVS, vivere ut DEVS. Absorbeatur humanum in divino, abscedat vanitas, accedat divinitas, & totus siam divinus. Sic denique state, ut, quoniam est militia vita hominis super terram, sic arcem animæ vestræ defendatis, sicut me vindictis Ecclesiam defendisse; tunc eritis verè gaudium, verè corona mea, verificabiturque de vobis illud Ps. 4. posuisti in capite illius coronam de lapide pretioso.

3. Su-

3. Superest, ut, quandoquidem tam præclarè eum officia Ducis in Ecclesia implevisse cognovimus, etiam nostrare animarum arcem eidem protegendarum committamus; si enim in hac etiamnum vita existens tantopere eorum, quorum curam suscepit, animas defendit, quid faciet in altera? si ergo tu advertis, aut muros tuos quassari; aut portas oppugnari aut ignem injectum; aut cuniculos actos: aut ad proditum nem te sollicitatum; aut canales gratiae divinæ tibi subversi, fontesque obstrui, advoca S. Ignatium, illiusque fidei committe; cum in finem dictum tibi puta de illo, quod Bernardus de S. Angelo Castode dixit: quid sub tanto custode timeamus? fidelis est, prudens est, potens est. Tantum sequamur cum: tantum adhæteamus ei, & in protectione DEI cœli commorabimur.

*Epilogus.*

Atque hæ sunt, quæ S. Iguatio in signum gratitudinis nostræ præstanda censeo; agite proin AA. & mecum ad eundem Sanctum vos convertite ac dicite: O glorioſissime Dux Athleta Christi, o potentissime defensor Ecclesiæ, agnolamus tuam fortitudinem, & totis viribus laudamus, ac gratias pro ea debitas agimus, & ampliores agere desideramus; qui vero majores agere non possumus, quæcum si coronam tantopere à te exoptatam capitî tuo imponamus, ecce paratos nos ad tua Sanctissima exempla imitanda. Tecum hodie vocatorem DEUM audiemus: tecum finem ultimum nobis ob occulos ponemus: tecum omnia terrena spernemus, & non nisi quatenus ut media ad finem nostrum conducunt, usurpamus: tecum contra hostes omnes arcem Ecclesiæ & anima nostræ fortiter defendemus; tu modo duc nos Sanctissimo exemplo tuo, tu adjuva patrocinio tuo: tu præsidio tuo defende, ut, qui te Ducebimur in terris, etiam ad celum Ducebimur mereamur, proque nostris simul & tuis beneficiis æternas divinæ Majestati laudes tecum cantemus. Amen.

*Alii Conceptus.*

1. Simili modo possunt aliae virtutes Sanctorum pro concione explicari v. g. posset ostendi, quomodo idem S. Ignatius

tius, aut alius Sanctus fuerit ignis, propter eximiam charitatem, qua DEUM proximumque dilexit, adeoque dici posset, quod ut ignis inter agendum semper sursum ascenderit per intentionem & pia suspiria. 2. quod dum alios calefaciebat, nihil interea perdiderit de suo calore ut ignis. 3. quod in æquali peripheria, id est, dispositione positos æqualiter calefecerit, sine respectu ad personas; magis verò eos, qui propinquiores erant, uti Pauperes, Juventutem, Peccatores, Infideles. 4. quod valde suavem & efficacem modum habuerit alios in se convertendi, sibiique assimilandi, scilicet per calorem charitatis, uti ipse DEUS B. Magdalena de Lazaris ostendit. 5. quod non cessarit ab agendo, donec materia deficeret, diceré que posset cum Davide Ps. 118. *Tabeſcere me fecit zelus* *menuſ.*

II. Posset ostendi, quomodo secutus sit Sanctus consilium Christi: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes,* atque adeo impleverit omnes prudentiae partes. 1. sagaciter consultando de statu vita & aliis ad eum pertinentibus juxta monitum Ecclesiastici c. 32. *Fili mi, ſine consilio nihil facias,* & post factum non peneſebit. 2. Sapienter eligendo, quæ ad finem propositum erant magis conducibilia ubi potiores ejus virtutes proponi & laudari possunt. 3. Celeriter exequendo, quæ elegerat, ita ut verè dicere potuerit: *Bonum certamen certavi, curſum consummavi.*

III. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis in curru igneo charitatis, ut olim Elias fuerit raptus in cœlum, idque per præciuos actus charitatis DEI & Proximi, probari posset juxta illud Apostoli i. Cor. 13: *Charitas patiens est &c.* atque adeo orandum cum Eliseo: *Obſecro Domine, ut fiat in me* *Spiritus duplex tuus.*

IV. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis velut novus Atlas Ecclesiam verbo & exemplo velut duobus humeris sustentari, atque Auditores ad gratiarum actionem & imitationem excitari.

V. Posset ostendi, quomodo Sanctus aliquis utpote mirè devotus B. Virginis per viam lacteam in cœlos ascenderit, ubi in prima parte B. Virgo viæ lacteæ comparari; in secunda potiores actus mariani amoris ab eo eliciti explicari possent.

VI. Pos.

VI. Posset ostendi, quomodo talis ex mortificatione huius  
dio velut leo ex unque cognosci possit juxta illud Thomae  
Kempensis l. 1. c. 25. *Tanum proficies, quantum tibi vim iuu-  
leris.*

VII. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus fuerit Hell-  
tropium, convertens se semper ad solem aeternam sapientiam  
per perfectam voluntatis suae cum Divina conformatio-  
nem ubi exemplum S. Jobi & comparatio cum eodem non parat  
ad amplificationem servire potest.

VIII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis fuerit Cand-  
idus & rubicundus per vitam innocentiam & patientiam gen-  
erosam in tribulationibus ubi exemplum Christi passi non pro-  
rimum promovebit amplificationem, uti & tres comites illius  
ut vocabat P. Balthasar Alvarez, scilicet indigentia, dolor  
contemptus.

IX. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus dixerit cum  
Apostolo: abstine mihi gloriari &c. ubi dignitas, divitiae, re-  
bur & pulchritudo corporis, ac scientiae, quibus plerumque  
homines gloriari solent, exponi, similiusque probari posset  
quomodo haec omnia longe copiosius in cruce inventan-  
tur.

X. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus ascenderit per  
desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrae & thymi  
& unijversi pulveris pigmentarij. ubi donum orandi a DEO  
concessum explicari posset.

XI. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus recte novit  
vivere, quia recte novit orare. ubi in prima parte probatur  
posset veritas axiomatis. In secunda, quomodo Sanctus re-  
cte oraverit.

XII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis per viam si-  
ctam humilitatis ad celos ascenderit juxta illud Christi  
Matth. 7. *Aeris via est, qua dicit ad vitam, & pauci sunt, qui  
inveniunt eam.* ubi in prima parte pulchre comparari potest  
humilitas arcta viae & ostendi, quam pauci hanc viam inve-  
niant: in secunda vero humilitas Sancti per varios actus de-  
monstrari. Potest etiam servire visus, quo S. Benedictus  
post mortem visus est viæ floridæ insistere, similiusque haec visus  
audita: *haec est via, qua dilectus DEO Benedictus ad celos  
ascendit.*

XIII. Proba

XIII. Posset ostendi, quomodo DEUS Sanctum talem honoraret, scilicet ad morem, quo olim Rex Asveras Mardonium honoravit. Nam 1. induit eum vestibus regis, seu stola gloriae immortalis, quae plus cum exornat, quam ullum hominem vestes quantumcunque pretiosae ornaret. 2. Super equum Regis imposuit: quatenus per gratiam DEI (de qua Thonias Kemp. l. 2. c. 9. §. 1. dixit: Suaviter equitat, quem gratia DEI portat) ita roboravit, ut ab omnibus peccato & perturbatione liber suavissime in DEO requiescat. 3. Coronavit eum diadema: juxta illud S. Davidis testimonium Ps. 8. v. 6. *Gloria & honore coronasti eum Domine, & constitueristi eum super opera manuum tuarum.* Et iterum: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* 4. Per Ministros suos primarios eum deduci in caelos iussit, scilicet per Angelos, sicut olim Lazarus eodem est deportatus. Ut adeo nihil super sit, quam ut ipsi quoque Auditores eum honorent, & genua flectant, id est, variâ submissionis, fiduciae, reverentiae, & laudis obsequia exhibeant.

## C A P U T IV.

## Quomodo Conciones in Dedicatione Templi institui debeant.

Cum plerumque ad Dedicationem Templi copiosior Auditorum numerus accurrat, expedit, ut Concionator ram etiam & Selectam materiam eligat. Quia vero ob frequentiam ejusmodi Concionum aliqui difficultatem non levem patiuntur in novis semper conceptibus inveniendis, ideo placuit hoc capite Specialiter de hac materia agere, & præter Formulam Concionis tali die habenda, plures concepius suggerere ad similes conciones instituendas. Quia vero duplice modo ejusmodi conciones institui possunt, scilicet ut vel directe de ipsa Dedicatione, Templo, & modo conversandi in illo sermo habeatur; vel ut ex ipso Evangelio aut Fatto occasio sumatur, aliam quamplam salutarem doctrinam inculcandi, ideo duplex quoque Exemplar similium Concionum hoc capite afferetur.

*Institut. VII.*

O

§. I.